



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cliii [i.e. xiv]. Actu inter se distinctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

terminata, & non major, est tacta, non possit tamen unquam assignari pars, de qua liceat dicere: hæc pars adæquatè & secundùm se totam est tacta, sicut dici nequit: hæc pars est omnium proxima alteri continuo contiguo, cùm quævis pars continui sit in infinitum divisibilis. Eodem modo globus perfectè sphericus tanget planum perfectè planum (quanquam globus ita sphericus, ut eo non possit dari alter magis sphericus, probabiliùs implicet) in parte aliqua divisibili, sed omnino inadæquatè & incommensurabiliter, id est, erit in tangente & tacto assignabilis quidem pars, quæ tangat, & tangatur; de hac tamen non erit verum dicere: hæc tangit, aut tangitur adæquatè.

XIV. Nihilominùs partes in continuo sunt actu & realiter inter se distinctæ, etiam ante divisionem vel designationem; aliàs enim caput & pes in homine erit idem, usquè dum aliquis re vel ratione caput à pedibus dividat: duæ aquæ divisæ in duo vitra sunt actu distinctæ; ergo etiam dum junguntur & continuantur in uno vitro; per nullam enim potentiam fieri potest, ut entitates realiter distinctæ fiant una eademquè entitas: è contra

k 3

par-

partes aquæ post divisionem actu distinguuntur, ergo & ante illam; fieri enim nequit, etiam divinitus, ut duo inter se identificata distinguantur postmodum: sic igitur non tantum ea, quæ actu separantur, sed & quæ separari possunt, distinguuntur; quinimò hæ partes uniri non possent, nisi distinguerentur, cum unio essentialiter sit extremorum actu distinctorum unio. Quare dum Arist. ait, in continuo esse partes, non actu, sed potentiâ, vult esse partes tantum potentiâ divisas. Hinc tamen non sequitur esse in continuo partes aliquotas (de quibus manifestum est) aut proportionales actu categorematicè infinitas. Hæ enim partes proportionales nequidem constituunt numerum simpliciter dictum, multò minus infinitum in numero; cum numerus seu multitudo sint plures unitates unione carentes, seu plura discreta, vel saltem, si discreta non sunt, omnia tamè determinata, discernibilia, & adæquatè distincta sint, necesse est: sed tales non sunt istæ partes proportionales, utpote quæ nequidem omnes à mente divina designari aut discerni queunt; & licet secundum se spectatæ sint simul, secundum designatio-

nationem tamen illam & discretionem seu
divisionem partim sunt actu, partim poten-
tiâ, adeoque indifferentes sunt, ut expriman-
tur per mille, vel per centum; neque ut desig-
nabiles habent terminum. Ad hoc ergo, ut
constituant hæ partes infinitum categorema-
ticum, non sufficit, ut sint actu simul & di-
stinctæ, adeoque cognitæ ut distinctæ repræ-
sentent aliquem indeterminatum numerum.

DISSERTATIO XV.

De Loco & Vacuo.

I. **L**OCVS seu spatium imaginarium, in
quo ultimatè est & ubicatur omne
spatium reale, bene explicatur, quòd sit spa-
tium reale purè possibile, quod nobis ima-
ginamur, sive concipimus per modum aëris,
aut similis alicujus corporis, quo rerum
ubicationes metimur, actu existentis se-
cundùm trinam dimensionem extensi, &
in infinitum diffusi. In quo licet involvatur
negatio per *τὸ purè possibile* indicata, quæ ad-
æquatè nunquam tolli potest, cum quocun-
quæ corpore producto in spatiis imaginariis
restet spatium imaginarium amplius, à plu-
ribus corporibus producibilibus occupan-
dum: quia tamen eam, dum spatium reale